



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exemplorum Libri Tres

Liber Tertius, Sive Exempla Divinae Irae, Per Opera Poenitentiae, Nobis
Leniendae - Per Quadagesimam Anno M. DC. XLVIII. narrata

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 6. S. Eutropiæ & ciuium crudelis mors.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48194](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48194)

Cap. VII. Rhemensium exemplo demonstratur, quid possit satisfactio. ac

diuina maiestati libate, ut pariter caelesti beatitudine digni mereamur inueniri: Hu dicitis: cum in oratione prostratus hanc versiculum Episcopus decantaret: Adhæsit panimenso animum meum, continuo illi gladiatori sequente, capite truncato, verbum sanctitatis ab ore decollati non desistit, sed immortalitatis sententiam, quam pectus adimplendo impetrauit: dicens, viuifica me secundum verbum tuum. Sic cecidit hostia Deo grata. Psal. 118.

Fratre occiso, soror Eutropia, velut Christiana aliqua astitit Camilla, atque è tota multitudine, sideris cuiusdam instar emicuit. Cuius heroicum pectus, & virginis oris gratia, ipsum barbarorum impetum stitit, oculosq; rapuit, celeste quiddam in humana forma admirantium. Sensit prudens virgo, quod res erat, nempe impiam crudelitatem circa se mitigatam; speciemq; suam litibus paganorum reseruatam. Quis igitur maluit immanitatem, quam libidinem barbarorum pati, consilium in arena cepit, ad fratris sui interfectorem conuersa, sibi ablandientem imperterrita voce, *Hæus, inquebat, tyranne crudelis, magnum Dei virum indignis manibus ingulasti, & me tibi abutiendam reseruas? Non ita fiet: diuina namq; te sententia damnat.* Dixit, & à Deo acta, repentino saltu in eum insilijt, martyriumq; non ambiens, sed extorquens, neque muliebri virtute, sed diuina vltione in palpebras eius vtraq; manu inuolauit, quas vnà cum oculis stirpitus euulsit. Quo facinore incitati hostes, strictis vndique ensibus in eam ruerunt, milleq; plagis confossam, sed pudicitia integra, fratri hostiam alteram addiderunt. Generosum hoc feminae factum ceteros ciues ita animauit, vt omnes vellent & pro expiatione peccatorum suorum, & pro nomine Christi, etiam ipsi sanguinem profundere. Quod & factum est. Nam extemplo omnes, qui ad sacram ædem confugerant, & qui in plateis inuenti fuerant, & quotquot se in latibulis absconderant, in publicum protracti, concisi, mactati sunt.

Animaduertere nunc, quam vtile, & Deo gratum sit sacrificium, si vel illa mala, quæ nobis alioqui inutilia accidunt, saltem patienter toleramus, Deoq; pro peccatis nostris offerimus; præsertim si mala nobis inferantur ab hoste religionis inimico. Expleta dirissima cæde, & vniuersa ciuitate Rhemensis sacro martyrum

VI.
S. EUTROPIAM
ET CIVIUM
CRUDELI
MORS.

VII.
ETIAM NE-
CESSARIA MA-
LA PATIENTER
TOLERATA, &
DEO PRO SA-
TISFACTIONE
ACCERTATA.